



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 122. Epistola Pontificis ad novum Lusitaniæ Regem, ejusque Avum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

in tenera ætate Philosophiæ, ac Theologiae scientia clarus rerum Lusitanicarum historiam conscripserit.

Sæcul. XVI.  
A C. 1557.

## §. CXXII.

*Epistola Pontificis ad novum Lusitanicæ Regem, ejusque Avum.*

Postea Summus Pontifex, quamprimum Lusitanicæ Regem decessisse, ac Sebastianum ejus Nepotem in Successorem fuisse electum intellexerat, quantocius ad juvenem hunc Principem sequentes has literas perscripsit: *Charissime in Christo fili noster &c. Avi tui claræ memoriæ Joannis Regis Portugallicæ obitus, de quo nos certiores fecisti, maximo nos dolore affecit: amisit enim Christiana Respublica Regem, & maxima virtute præditum, & de se, ac sancta Religione optime meritum: sed quia divinæ voluntati acquiescere debemus, nostræ, & tuæ partes sunt, pro ipsius anima Deum orare, ut eam in loco pacis, & gloriæ ad animas inclytæ memoriæ Prædecessorum ejus optimorum, piissimorumque Principum aggregare dignetur, quod illi quidem propter vitam tam pie actam contigisse sperare debemus; Quod polliceris, non te solum in Regno successurum Avo tuo, verum etiam hæredem fore ipsius fidei, obsequii, & pietatis erga Sanctam hanc Sedem, a qua te omnia bona consecuturum esse*

Paul. IV. lib.  
Brev. sign. n.  
2889. pag. 88  
apud Ray-  
nald. hoc ann.  
n. 51.

Sæcul. XVI  
A.C. 1557.

esse speras, quæ alii Catholici Reges consequi solent, de tuo isto in hanc Sedem animo te magnopere laudamus, atque hortamur, ut præstes id, quod polliceris; maximam enim, si ita feceris, laudem tibi, & gloriam paries: fac igitur Charissime Fili, ut cum ætate simul pietas crescat, cum pietate erga Deum Charitas subditorum, præsertim pauperum, & in Sanctam hanc Sedem, eique Præsidentem Christi in terris Vicarium devotio augeatur; Charissimæ vero in Christo Filicæ nostræ Reginæ Avicæ, & ejusdem Matris tuæ, itemque dilecti filii nostri Henrici Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis Infantis Portugallicæ Patruï tui monitis, & præceptis obtempera, neque ab ipsius Avi tui vestigiis declina, sed cum virtute, justitia, & pietate sua tibi prælucentem sequere. Quod ad spem attinet, quam in hac sancta Sede repositam habes, jure, ac merito omnia, quæ tibi, ac Regno tuo ab ea cum Deo tribui poterunt, beneficia, & commoda semper tibi polliceri, & expectare poteris. Reliqua, de quibus ad Serenissimam Reginam scribimus, ex nostris ad eam literis cognosces: incipe igitur, Charissime Fili, regnare cum paterna benedictione nostra, quam his tibi literis impertimur, Deum precantes, ut te incolumem custodiat, concedatque, ut & diu in terris, & feliciter regnes, & post diuturnam, ac prosperam tempo-

*temporalis Regni administrationem ad Cæ-* Sæcul. XVI.  
*lorum Regna pervenias. Datum Romæ* A.C. 1557.  
*Ëc. die decima octava Decembris Mille-*  
*simo quingentesimo quinquagesimo septimo*  
*Anno Pontificatus tertio.*

Eadem die Pontifex aliam epistolam dabat ad Catharinam Reginam juvenis hujus Principis Aviam, quam hortabatur, ut imbellem Sebastiani ætatem tueretur, atque una cum Henrico Cardinale Principe, in salutem Regni excubaret, præprimis vero consuleret cultui divino, atque Ecclesias, Monasteria, Hospitalia, omnesque Ecclesiasticos, Religiososque homines protegeret, ut post rectam, & piam temporalis Regni administrationem immarcescibilem in Regno cœlorum coronam accipere mereatur.

## §. CXXIII.

*Suppetiæ contra Cherifium Mahometem a Lusitano Rege latæ.*

**H**ic idem Joannes Lusitanæ Rex tumultibus jamjam per octo annos Thuan. hist. init. l. 20.  
 Africam agitantibus implicabatur, si Marinol.  
 mulque auxilia promiserat Buaconi Tef- Camvaial.  
 sano adversus Mahometem Cherifium, Iterr.  
 a quo is ex Africa pulsus fuerat. Hic Spond. hoc ann. n. 17.  
 idem Buaco ex Meriniorum Oatas genere ortus ob prudentiæ eminentiam, animique fortitudinem clarissimus erat: profligato autem Oata Fezaram Rege, quem